

EPICEDIA  
Exequiis, ultimoq; honori  
VIRI Humanissimi & Literatissimi  
**DN. MICHAELIS**  
**CALSOVII,**


Gryphiswaldiae ad D. Mariæ Ministri, & ibi-  
dem patriæ Scholæ collaboratoris  
qvondam fidelissimi,

Qui

10. Decemb inter 5. & 6. horam vespertinam  
piè & placide in JESU CHRISTO obdormivit,  
& 18. ejusdem in aede Mar. sepultus,

â

Condolentibus Amicis consecrata.



GRYPHISWALDIAE,  
Literis Viduæ B. Jac. Jegeni 1657. impressa.

**N**ulla bonis igitur post ultima funera restant  
Præmia? nulla piis merces? non ulla relicta est  
Post miseram hanc vitam melior, super æthe-  
In cineres abeunt unà pietasq; laborq;? (re, vita)  
Non ita. Sed restat sua merces, præmia, vita,  
Pro meriti ratione piis, si tradita cœlo,  
Dicta DEI meruere fidem, prædictaq; vatuum.  
Quis neget ergo tibi post mortem, præmia cœlo  
Parta dari, meritisq; tuis æterna referri  
Munera, quæ sudor, virtus pietasq; reposcit,  
**C A L S O V I** dilecte DEO dilecte Choroq;  
Hinc citius terris ereptus es, ut super alto  
Commoda percipias, jam fine parentia, cœlo.  
Lætitiamq; capis, quam nulla molestia, nullæ  
Afficiunt clades, luctu tibi parta laborum  
Alma quies, tibi lux deitatis, micat orra, tenebris.

*In ult. bon. f.*

M. Joachimus Rhaw.

**H**icce dies decimus quartus, (quam Vita caduca!)  
Tuus labor sacer ultimus;  
Cum sermone sacro à me habito, tu voce canorâ  
Ecclesiam dimiteres:  
*Festina Domine O Festina, aqvisime Judec*  
*Vultum tueri da tuum,*  
Redderis en Voti Compos, *Virtute Beate,*  
Nos inter omnes protinus:  
Mox Correptus enim morbo, qui debile Corpus  
Morti beatæ tradidit.  
*Festinans ergo venit DOMINUS, faciemq;*  
*Tibi dedit tui suam.*

M. Jacobus Balthasaris,  
Eccles. Mar.



**D**E fece atque luto putet Alcinoiq; Sodales  
Nos mundus mordax, qui condimur Aonis um-  
Pulvere qui Scholico fœdamur nocte dieq;; (brâ,  
Mustea sunt verba, & Vervecum nata sub aura  
In DOMINI illustres oculis, optataq; turba  
Audimus, mundo luçemq; facemq; ferentes.

Talis eras quondam C A L S O V I, turbatenella.  
A quo percepit Scholici rudimenta laboris  
Oscine felici, Patrum plaudente caterva,  
Hinc cœlo invectus splendens novus incola cœli,  
Phœbi ceu lampas mediæ in vertigine lucis.

Ultimis honoribus suavissimi Compatriis,  
fidissimi pubis Formatoris ponebat

**M.** Barachias Spradlerus,  
Rector Scholæ Senatoriæ.

---

Piè defunctus Pater Natos Natasq;  
consolatun sequentibus.

**C**ur fletis Nati? cur ab omnibus esse relictos  
Dicitis? ille D E U S qui nescit lingvere,  
quenquam.  
(Si modò sit pius) is quoque vos non deseret un-  
quam.

Sistite jam fletum, fletu non fata moventur,  
Nec maneo, nihil & me tristia dicta retardent,  
Nec cuperem, innumeris quia vita est plena pe-  
riclis.

Anne videtis, Mars nunc huc nunc astuat illuc,  
Et locus est nullus, qui non sit sanguine, bello,

A 2 Per-

Perfidia, scelere & quovis discrimine plenus.  
Ergo meam sortem patienter ferre beatam,  
Atque modum lacrymis imponere discite Nati,  
Vivit adhuc DOMINUS vitæ dator atq[ue] salutis,  
Vulnerat ille quidem, at rursus medicamina  
præstat;

Ast mibi mors potius nunc exoptabile lucrum,  
Transitus ad vitā mibi mors est parta perennem,  
Sic mea, si qua fuit, crux permutata triumpho est  
Vivo meo felix CHRISTO, conjunctus olymbo.

Non sine gemitu & suspiriis suo, ut in vitâ,  
ita & in morte Charissimo Dn. CAL-  
SOVIO ultimi honoris e. app.

Albertus Ribovius,  
P. B.

---

Dum bello nostram regionem territat hostis  
Quisquis, ubi lateat, terrirus antra petit,  
Vastarunt hostes magnâ formidine campos  
Et nos vix tutos murus ab hoste facit  
In tutum cœli quicunque receptus asylum,  
Is demum verè tutus ab hoste manet.  
Ergo, CALSOVI, tu tutus ab hoste manebis  
Quem modo suscepimus cœlica tecta tegunt  
Æterna gaudens nunc pace, pericula rideas  
Et quæ nos miseris fata maligna manent:  
Gratulor

Gratulor hanc requiem superant quæ pignora  
chara

Proteget hæc summi dextera fida Patris.

Hicce paucis pie defuncto amico suo dilectissi-  
mo aeternam requiem gratulatur, mœ-  
stosq; solatur

M. Johannes Stein Schol.

Con-Rector.

---

E st facilis Tibi JOVA, opis & nullius egentem.  
Præstat fortunam, dissimilemq; mea.

Ex undis tumidis, mi Compater, enavisti,  
Et scopuli curas effugis ancipes.  
Tandem cales habes nitidus niida otia cœli;  
Otia sunt nostræ pulvrae solitaria Scholæ.

Dn, Compatri securum otium gratal, & su-  
perstitibus solatum precatus

S.

Jacobus Prilevitz,  
Sch. Gryphisw. Cantor.

---

E ffertur ædibus suis CALSOVRUS,  
nōrat juventam qui formare litteris  
& moribus, (grati Bonis queis reddimur.)  
Rebusq; sacris, atq; sacrissedulus  
Præconibus sese probare s'veratae.  
Sed s'epiūs vulgus profanum, aut turgidi  
neqvistimō fastu solent contemnere  
utrumq; munus hoc, perinde ac si leve  
& æstimandum semper algå vilius.  
Errant at illi. Dignitate nam suā  
usuq; pollet munus. Euge! non leve est

nec vile munus, ductilem Puertiam.  
doctas per artes fingere ad recti decus.  
Num spreveris, si spes Parentum, Civium,  
si certa proles & novella, Patriæ  
nascens honor, segesq; lœta Posterūm,  
fidei tuæ, tuæq; euræ creditur?  
Num spreveris, si tu DEO gratum queas  
præstare manus publicum sacrō in chorō,  
expectorat slave qvī melos suum?  
Judex iniqvus carpit hæc, qvæ non capit.  
At pro virili parte patriam juvans,  
ornansq;, cūi præfectus est, spartam suam,  
beatus exit, cūm DEUS illum evocat,  
salutis atq; arcem jubet concendere.  
Viduata conjux Conjugem qvin define,  
Vos Liberi & nimis Parentem absistite,  
nil profuturis exeqvi ejulatibus!

L. M. Q. apposuit

DAVID HARDERUS,  
Gryphiswaldensis.

---

O funesta dies, nigro signanda lapillo!  
Quæ me tam subito Fratrem dimittere cogit,  
Et renovat luctum, resecat quoque vulnera prisca.  
Annus præteriit Genitor cum fata subibat,  
Et nos, nos in luctum præcipitabat acerbum,  
Huic superato alium tentat superaddere luctum.  
O funesta dies, nigro signanda lapillo!  
Vos lugete, quibus sunt & sua funera cordi!  
Atque rudis mecum lugendo Scholastica turba!  
Laudandâ vivus quam dexteritate docebat.  
Vos reliqui Gnati mecum Gnateq; dolete!  
Nunc etenim occidit vobis Genitor, Misi Frater.

Hac calamo lucido mæsus frater scribebat

Joachimus Calsovius.

## Defuncti Votum,

J ESUM, qui mea stes, vita & mea sola volupta S  
E xopto, ad J E S U M properoq; meum, sine luct u  
S emper cum J E S U vivam, laudesq; perenne S  
U sque canam JESU, bene sit tibi perfide mund E  
S um JESU, JESUS meus est, JESU Mq; petiv J

Condolentiae ergo appos.

Joachimus Ribovius.

---

I mminet adventus DOMINI, quem ritè para-  
tum

Invenit hicce dies, æthere dionus erit:  
Æthere dignus erit, qui morte paratus abibit,  
Adventus etenim mors quoque nomen  
babet.

Siccine, CALSOVI, fatis urgentibus, ipso  
Adventus puncto, non redditurus obis?  
Non redditurus obis: mandataq; munera linguis,  
Uxorem charam, pignora gratathori?  
I pede felici, IHOVA nos dante sequamur,  
Reddemus grates proq; labore tuo:  
Proq; labore tuo, quem CHRISTI Ecclesia cepit,  
Proq; hymnis, poteras queis decorare chorum,  
Sed doleo, quod tam subito secedere  
A templo, Natis, cogeris à Vidua;

Cogeris

*Cogeris à Vidua, ab! que nunc orbata Marito,  
A natis charis, quiq; parente carent!  
Sistite nunc lachrymas, Lugentes! Namq; su-  
perstes*

*Ipse DEUS! Vivet: qui moriturus erat;  
Qui moriturus erat, vivet, visuq; fruetur  
Æternum salvus, colloqviog; DEI!*

*Tristitiae contestandæ ergo hoc  
composuit*

Petrus Wilkens / Stadens. S.S.  
Theol. & Phil. Stud.



# Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1  
62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)  
[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)  
tel./fax (0-61) 665 82 72  
tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance  
and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**